MELCHIORIS GVILANDINI BORVSSI

R.

APOLOGIAE ADVERSVS PETR. ANDREAM MATTHAEOLVM,

LIBER PRIMVS,


qui inscribitur Theon.





PATAVII,
Apud Gratiosum Perchacinum.
M D LVIII.

Agnoſcis errores tuos, meus Theon,
Meus Bion, agnoſcis ô Pattæcion ?
Hæc ebrius notauit ille, & Barbarus,
Quæ ſobrium te fugerant, & Atticum.



Quod vt facias, vehementer etiam atq; etiam rogo. Hæc erit tibi ad æternam gloriam via: hàc iêre certatim Romanorum ac Græcorum plerique proceres: hàc nunc cœlesti passu incedas ipse, Germanicis subueniens rebus, quando

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρας.

Vale.

Α. Λ. σ. πανδύνιος,

εἰς πέτραν ματαιό-


λον.

Ματαιόλος πρὶν τοὔνομα, νῦν πάντεσσι βροτοῖσι

Εὔδηλον, ὡς μάλα καὶ πρήγματα ματαιόλες.

ὦ Ζεῦ, οὐδὲν οἱ ἀνθρώποισι διακριδὸν, οὐδὲν

Οὐ σφαλερὸν, σοφὰ γὰρ καὶ τὰ δοκοῦντα, γέλως.



AVCTOR LECTORI.

Aedidimus primum Apologiæ noſtræ librum, cui titulus Theon; daturi prope diem foras & alios duos; quorum ſecundus Pattæcion; tertius verò Bion inſcribitur.

MELCHIORIS GVILANDINI BORVSSI R.

APOLOGIAE ADVERSVS PET. ANDREAM MATTHAEOLVM.

LIBER PRIMVS, QVI INSCRIBITVR THEON.



Matthæoli calumniæ refutatæ, atque eiusdem centum circiter errores obiter indicati.

EXTAT apud Apuleium Platonici dogmatis assertorem clarissimum, dictum, mea sententia, elegans & graue. Id quia THEONEM quendam, cui à vanitate dementiaque nomen; qui me haud secus, quàm si œstro percitus esset, TIMONIANO dente incessit, ignorare animaduerto, huc adscribendum esse duxi. Bonus & innoxius, rudis & imperitus, aures ad malè audiendum habens, & laudis assuetudine contumeliæ insolens, multò tamen ex animo laborat, ea sibi immeritò dici, quę ipse possit aliis verè obiectare. Est. n. pudentis animi & verecundi, vt mea fert opinio, vel falsa vituperatione grauari, cum etiam hi, qui sibi delicti alicuius con-

ſcii ſunt, tamen cum malè audiunt, impendiò com moueantur & obiraſcantur; quanquam exinde, vbi malè facere cœperunt, conſueuerunt malè audire. Cum itaque mendaci ac falſa vituperatione, Mœſonicorumq́; dicteriorum dicaci nimis petulantia, grauiter famam meam proſciſſam intelligam, mul tùm ex animo doleo, innocentiam meam, ſic quorundam hominum ſceleri atque audaciæ patere, vt ſe impunè in illam graſſari poſſe exiſtiment. Qui me ſanè dolor meus, etſi ad reſpondendum ſic potuit inuitare, vt ſi quam aduerſarius malè dicendo voluptatem percepit, eam malè audiendo amit teret; ne tamen ad ineptias, ad quas me ille vocare videtur, orationis meæ curſus delabatur, cum abundè mihi honeſtæ rationes, naturaq́; & ingenio meo dignę ſuperſint, quibus effrenatam huius Cyclopis immanitatem atque licentiam poſſim cohibere, dabo hoc dolori meo, reiq́; neceſſitati vt reſpondeam; ab ingenio autem meo ita non diſcedam, vt tota reſponſionis meæ ratio in officio, & æqui lectoris auribus conquieſcat. Intellexeram equidem iandudum antequam procaciſſima huius iſtius de quo loquor epiſtola de Bulbocaſtano, Holoconitide, & cæteris plantis exiret, ex incompta & rudi appendice, quam nuper renato ſenticeto appinxit, ipſum, quanquam Elephantis tardius, parturire aduerſus epiſtolam meam, quam Conradus Geſnerus, homo inexplebili legendi auiditate per omne genus auctorum circumuolitans, inſcio me ædidit: quem ego poſthac virum, celeberrimum librorum omnium anagnoſten, & Germanicum quoad viuam vocabo Varronem, qui plus Latio laudis peperit, quàm cæteri Latini ſcriptores ſimul omnes, quiq́; nunc transfuſa rurſus in Hel

ueticum corpus anima, Germanorum omnium acutissimus est, & sine dubitatione doctissimus, qui tam multa hactenus legit, vt aliquid ei scribere vacasse miremur, tam multa scripsit, quàm multa vix quenquam legere potuisse credamus. In quo etsi me magnorum virorum exemplo consolabar, quibus cum inimicos atque aduersarios nunquam defuisse literis proditum sit, facilè intelligebam, ne mihi quidem homini minimè cum iis comparando, acerbè eandem fortunam ferendam esse. Nam & aduersus Deum illum Mœonium vastissimum facundiæ torrentem, & literarum principem, ingeniorumꝗ felicissimum fontem, atque omnis virtutis parentem, si Iustiniano credimus, vt profectò credimus, scripsisse etiam scelestissimum hominem, cognomento Zoilum, legimus; qui equidem nullo alio supplicio, quàm quo periit, plecti debuit; & aduersus Theophrastum, hominem in eloquentia tantum, vt nomen diuinum inde inuenerit, Leontium meretriculam, & prouerbium inde natum, suspendio arborem eligendi. Sed tamen tacitus sic mecum cogitabam, quisquis is futurus erat, qui inimicitias meas tanto studio appeteret, nullo meo facto, nullaꝗ iniuria prouocatus, rectius facturum, si senticetum illud suum, imò verò pestilens ac lemuribus infame domicilium, iam toties tonsum atque retonsum, textum atque retextum, neque tamen etiam abundè satis hactenus comptum, sed horridum adhuc luridumꝗ, quod Commentariorum in Dioscoridem nomine appellauit, à fœdissimis erroribus expurgasset, & tunc demum, si ita liberet, aliorum labores inuaderet, linguamꝗ ad contumelias natura sua iandudum prurientem conuerteret. Quod quoniam ab illo

præpoſtere eſt factum, corrigam quoad potero hominis hunc errorem, eumq́ principio lenitate orationis meæ ad id reuocabo, vnde ſtudio contentionis & conuitiorum depulſus fuit: poſtea autem aliquid etiam ad conuitia, quoad me honeſtas ingeniumq́ meum patientur, reſpondebo: proq́; ſuis non optimis erga me meritis, hanc optimam homini gratiam referam, vt meo ductu, meoq́; veluti auſpicio, ordinem à quo improuiſo exciderat, retinere in ſuis ſcriptis videatur. Do enim operam quàm maximè, vt noſtro beneficio & nos amare, & amari ab omnibus iure poſſe videatur. Non vtar autem verbis multis in erroribus ipſius refutandis: puto id enim à noſtra inter nos beneuolentia alienum eſſe oportere: ſed quoniam cum docto mihi viro res eſt & erudito, paucis tantum verbis indicare ſat habebo, in quo excellens huius viri induſtria & doctrina humanitus lapſa fuerit. Vberiorem explicationem ſi quis poſtea deſiderarit, ne hoc quidem inuitus fecero, quoad potero, quoadq́; opus eſſe iudicaro. Lapſum igitur dico bonum virum, primum in MALABATHRO & FOLIO; quæ medicamenta duo, in vnum ab ipſo confuſa, Apitio, Martiano Iuriſconſulto, Galeno, & Plinio latè diſtinguuntur. Deinde in CINNAMOMO & CASSIA; quæ aromata, auctore Galeno, loco fortasſis erudito huic viro incomperto, vnius tantum ſunt plantæ cortices; nec, quod ipſe Galenum ſcripſiſſe ait, Caſſia in Cinnamomum tranſit, ſed contra Cinnamomum in Caſſiam, Galeno teſte, vertitur. Inde VIBVRNVM, quod non plantæ alicuius ſingularis nomen eſt, ſed cuiuſq; virgulti fruticisúe proprium, Strabo & Nemeſiano poëtis teſtibus, falsò pro

Lantana

Lantana exponit.

Iam nisi me fessum via longior indupediret,
Scrupeus atque noui tereretur carminis ordo,
Debueram viburna Rosæ pretiosa, metallo
Pactoli, & niueis Arabum circundare gemmis.

Rursus quomodo MYRRHA & OPOCALPASVM, ex vnius arboris trunco, quæ mea est de his lachrymis sententia, manare queant, id ille, neq; vt ego opinor, satis docere pro sua incredibili eruditione, neque etiam quis ex antiquis scriptoribus id primum literarum monumentis consecrarit, poterit indicare. Hinc ZIZYPHA & SERICA, pro vnius medicamenti nominibus, contra Galeni & Plinii sententiam, perperam accipit; & MVSAM adhæc, tertio à Theophrasto inter Cyprias Palmas loco describi, malè conicit; quòd fructus huius sapidus non sit, sed radicibus similis, vt non deuoretur, sed succo tantum expresso, expuatur: Musæ verò vel ipsomet teste, longè omnium suauissimus est sapidissimusq;. Ego plantæ huius tribus tantùm in locis in vniuersis Bibliis, sub nomine Dudaim, mentionem haberi animaduerto; & ab Aeschylo antiquissimo tragico, Phyximilon dici comperio: à cęteris ferè Græcis iuxta atque Latinis Margaritam: à Mauritanis Muz & Gemez. Qui Cyprum incolunt, μῆλα τῆς παραδείσου vocant, argumento à vulgari Asiaticorum opinione ducto, qui Musam esse contendunt eam plantam, quæ hominum omnium protoplasto, diuino olim mandato in cibo interdicta fuit. Quod imitati nostrorum temporum scriptores, Pomum Paradisi nominant. Rasis Ficum Pharaonis dici memorat. Indi, qui in Orientem protenduntur, Melapolandam nuncupant: qui in Oc-

casum, Platanum. Denique inquilini insulæ D. Thomæ, Abellanam. Cæterum quanta sit eiusdem viri in NARDO MONTANO oscitantia, ne dicam summa Græcarum literarum, qua de re plurimi docti, & eruditi amici sui, me quidem refragante, nunquam dubitarunt, valdè miror, ignorantia, quando obliquos in rectos vertit, & verbum φέρειν, pro συμφέρειν, (malum) accipit, quodq; deterius multò est, φέρειν, cum negandi particula, pro ἄχρηστον εἶναι, eo in loco exponit, alii ut dicent. Quis quæso Medicorum vnquam ita loquutus? Adeo'ne omnis doctrinæ insignis ille Dioscoridis interpres expers est, vt formulam loquendi non Anazarbeo modo illi, sed etiam omnibus Medicis protritam, χρῆσις αὐτοῦ ἐν ἰατρικῇ οὐδεμία, ignoret? Sentire secum Falloppium illum purgatissimæ auris hominem, verisimile mihi non fit, qui, si hæc vnquam ad eum perscripsit, ioco, non seriò perscripsit. Verum vix tempero mihi in tanta plerunque hominis illius inscitia, calamo nimis prurientis, quanquam auribus præstaret, quando SALIVNCAM & NARDVM CELTICVM distinguit; quas nomenclationes duas, vnius tantum esse stirpis nomina, Marcellus antiquus Medicus testis est. Tametsi amplius in eo sibi placet, quam in annulo Polycrates, vt est apud Libanium. Saliunca, quam Latinorum Homerus in rustico carmine vocat, à cęteris ferè poëtis Adonium nuncupatur, à Medicis verò Anemone, Theocrito & Seruio auctoribus. Nec me præterit Plinium inter Saliuncam, Anemonem, Nardum Celticum, & Adonium discreuisse. Sed more suo. Magnus item ipsius error apparet in OPVNTIA, quod, Theophrasti testimonio, ποάριον est, mandi

suauitate aptum, non autem arbor, vt ipse falsò adstruit, cui vulgus perperam Fico Indicæ nomen imposuit. Ea Theophrasto ἀνώνυμος est; Plinio alioqui Palæ, & Arriano Talæ, nominibus celebrata, vt alterutrum ferè locum mendosum esse necesse sit. Rursus ignorasse eum CLEMATIDEM alteram, & VITEM syluestrem, liquido constat. Etenim quam sua gens Vitalbam vocat, à Dioscoride, sub Vitis syluestris nomine describitur; quam vero ipse pro Vite syluestri pingit, à Plinio Salicastrum nominatur; flore equidem pulcherrimo, violacei coloris, haudquaquam muscoso, cuiusmodi Viti syluestri à Dioscoride tribuitur. Sed & SCORPAENAM piscem, cuius nulla est Aristoteli mentio, ridiculè admodum à Scorpione marino eiusdem Philosophi auctoritate dirimit. Multiplex quin etiam est error eius in DRACONE MARINO, vt non immeritò pœnas de ipso sumpsisse videantur vasti duo lumina mundi, Rondeletius & Saluianus, quorum admonitione doctior redditus, se ipsum nuper à plagis subduxit, nulla Rondeletii mentione facta; ad cuius exemplum suos eum commentarios emendasse, non dubito; vtpote cuius opus, suum istud sterquilinium anno quinquagesimo quarto supra millesimum quingentesimum, præuenerit. Ex eo itaque libro posterioris sententię suæ rei summam transcribens, quasiq; flores præcerpens, non erubuit homo animi non satis ingenui eam assertionem pro sua ædere, in qua nullam præterquam transcribendi operam nauauit. Prætereo turpissimum in SILVRO errorem ipsius, quem ab iisdem quoque auctoribus latè explicatum obseruaui. Verum enimuero & si in quàmplurimis turpiter ipsum hallucinatum pa-

Iam sit, clarissimè tamen error ipsius in RVBRICA SINOPICA, & LEMNIA terra elucescit, quandoquidem, quem officinarum seplasiarii Bolum Armenum orientalem vocant, Lemnia terra non est, vt ille malè coniicit; sed Rubrica Sinopica, quam ipse falsò Bolum Armenum vulgarem esse decernit. Defertur namque terra ea in præsentem vsq; diem, non ex Lemno insula, quod ipse perfricto satis pudori fronte procaciter nimis clamitat, sed ex Cappadocia, Ponti regione. Testes habeo, non quales ille, spectatæ fidei, si diis placet, viros, pictorem, rusticum, & se ipsum; sed nobilissimos quosque Venetos, qui mercimoniorum quotannis gratia in Constantinopolitanam vrbem nauigant. Sciendum præterea ALISMATIS flores illi conspectos esse nunquam, quemadmodum nec geminas plantas eas, quas ipse ad ACONITI pardalianchis, & DRACVNCVLI maioris descriptionem, quęsito prętextu, vt doctior videretur, effinxit, tota rerum natura in testimonium aduocata, quæ nusquam gentium eiusmodi monstra, qualia ipse exculpi curauit, generat. Ex hac. n. doctrina demanasse lector sciat, vt eum Arcadibus, quos ex hominibus in lupos conuerti, rursumq; restitui sibi legimus, rectè cum cęteris eruditissimis viris conferendum putarem, atque isto quoque nomine in cunis enecandum ęquum arbitrarer. Dignum vero relatu miro ipsum falli in DICTAMNO albo; & TRAGIO Cretico, quondo plantam primo loco nominatam antiquis silentio omissam ait; & posteriorem hodie agnosci negat. Etenim luce meridiana constat clarius, Tragium Creticum aliud esse nihil, quàm quod rudis herbariorum plebecula, cu

ius ille non iniuria tropæophoros antesignanusq; posthac dicetur, Dictamnum album nuncupat. Neque ipsum ab hac sententia mea reuocare debet, quod Dioscorides Tragii fructus & folia, Lentisco minora tradit, quando non μικρότερα, sed μακρότερα legendum probo, Plinium sequutus, qui illud Terebintho æquale facit, quanquam est vbi & Iunipero simile scribit, librariorum ne iniuria, an sua incuria, haud scio. Porrò PALIVRVM Africanam, falsò Agrifolium vulgò dici statuit; siquidem Agrifolium à Theophrasto Cratægus appellari videtur; quod non affirmo: at Paliurum Africanam, cuius idem auctor meminit, Iuiubam esse, vt non dubito, sic propemodum certus sum, Agathoclis libro historiarum patriæ tertio auctoritate suffultus. Iuiubam parcius auctorum præconiis inclaruisse miror, quum præsertim Homero, antiquissimo Græciæ vati ante annos propè ter mille, Loti nomine, in nono Odysseæ libro multis versibus celebrata sit, Polybio Megalopolitano libro historiarum duodecimo docente. De herba, non arbore intellexit idem poëta in Iliade ξ, quando Iouem rem cum Iunone habuisse canit, terrà subter Lotum, Crocum, & Hyacinthum gignente. Sit quam Turcæ Alé & Zampúl vocant, Itali Tulipan, nomine barbaro, & proinde peregrino, quærendum: quanquam parum referre autumo, si vel pro vrbana, vel syluestri Dioscoridis Loto capiatur. Verum quum Plinius tres laudasse Homerum flores adnotet, Lotum, Crocum, & Hyacinthum, nec Lotorum qui apud Dioscoridem habentur flores, præstanti forma commendabiles sint, vix fieri posse reor, Homerum de iis loquutum. Cæterum Lotus Aegyptia etsi flore constet pulcherrimo, nullum

tamen hâc parte locum occupat, vtpote quæ in ſicco naſci recuſet, Croco, & Hyacintho nequaquam in aquis prouenientibus. Nec ſunt aquę ad coitum aptę, fundum petente corpore. Dura mediocriter, vt ille nouit melius, ad id certaminis genus, non fluxa materies apta. Eodem modo in COSTO, ac ZEDOARIA, atque ZVRVMBET, multis ipſum erroribus implicitum video, & notius ei eſſe putaſſem quàm vt hoc loco adſcribere haberem neceſſe, Zedoariam officinarum, neque Zedoariam eſſe, neque etiam Zurumbet. Cęterum Zedoariam vulgarem, Coſtum Syriacum à Dioſcoride appellari, vti quiſque eſt doctisſimus, ita promptisſimè ſententiæ huic accedit. Zedoaria porrò Arabum à peritioribus officinarum ſeplaſiariis, Zedoaria rotunda, ad differentiam longę, hoc eſt Coſti Syriaci, quem omnes Zedoariam abſolutè vocant, nuncupatur, ſi modò alia ſit à Ficaria vulgò nominata, quam eruditis Apios Italicum dici placere video. Non nulli Ariſtolochiam capnîtin appellant, falsò. Alii ad Capni ſpecies referendam cenſent. Nec deſunt, qui Leontopetali genus rentur, haud planè ineptè, vt mea fert opinio. Inueni è doctis, qui Cyperi ſpeciem arbitrarentur. Malè in officinis quàmplurimis Ariſtolochię rotundę vicem gerit. Fuchſius Piſtolochiam cognominat. Longè melius, Radicem cauam, Dodonęus. Hęc in tranſitu monuiſſe quid officiet? Venio ad Zurumbet, quod ipſe ſanè rectè Arnabum ſeu Arnabonem à Paulo & Aëtio cum cęteris vocari ſtatuit; Geſnerus, Carpeſium, malè. Auicennę Zarnabum dicitur. Actuario, Carnabum, ſeu Carnabadium, vel Zarnabum, & Zarnabadium, vt obiter rizomaſtigas iſtos rideam, Carnabadium

apud Casſianum Baſſum, & Myrepſum, Cuminum Aethiopicum eſſe neſcientes. Raſi Zarnab. Galeno Malabathrum Alexandrinum. Aretęo Malabathrum Indicum. Denique Plinio Malabathrum Syriacum. Sit quod vulgo Folium Canellę vocant, nec ne, ſeuerioribus rerum harum ęſtimatoribus perpendendum relinquo. Ego vt non planè contendo, ita certè propenſisſimus ſum, vt credam. Quin & CNEORVM vtrumq;, clarum illum Dioſcoridis interpretem, Chamælæam & Thymelæam eſſe, ex Aretæi, Dioſcoridis, Plinii, Galeni, & Aëtii traditione, ignorare demiror. Quid dicam? Imago, quam ille proponit SARXIPHAGI, æquè cum Epithymo, cui id Dioſcorides aſſimilauit, conuenit, atque Iuncus cum Lilio. O' miſerum hominem, qui huc vſque non didicerit, Sarxiphagon Pauli & Dioſcoridis, ab Apſyrto Talantion, & Oſteocollon vocitari; à Patauinus verò Garofanetum; à Venetis autem Dinarolam. Ad extremum, à Seplaſiariis, rizotomiſq; non paucis in Italia, Saxifragiam Frigimelegæ, nomine à vi, calculum frangendi inſigni, & inuentore, Franciſco illo Frigimelega, Medicorum hac ætate coryphæo, corriuato. Ab hoc verò haud ita diſparatum illud quoque, quando pro LIMONIO, inſciè, vel certè doloſè, Behen rubrum officinarum pingit: atq; rurſus BETAM SYLVESTREM malè herbariis cum Galeno contra Plinii exiſtimationem ſubtrahere cupit, quum contra non Plinius, ſed ipſe, & Galenus negligentiæ inſcitiæq; accuſandi ſint, qui Betam ſylueſtrem apud Dioſcoridem nondum deprehenderint. Miror profectò, miror, tam celebrem Dioſcoridis interpretem qualem ille ſe eſſe iactitat, Betam ſylueſtrem in eo auctore hactenus non le-

gisse. Verum mirari denique desino, quando ipsum in explicandis IXIA, & CHAMAELEONTE albo, nigroque, fœdè adeo hallucinatum esse video, vt nihil possit dici turpius. Itáne illi Dioscorides, quem explanare conatur, lectus est, vt Ixiam, quam auctor ille libro sexto inter venena connumerat, non albi Chamæleontis gummi, quod ipse falsò statuit, sed plantam per se ab vtroque Chamæleonte discretam ignoraret? Debebat eum profectò eius rei Theophrastus admonuisse, qui tres esse plantas, Ixiam, Chamæleontem album, nigrumque prodidit, vt interim Dioscoridem silentio prætercam; qui eodem libro, cuius proximè mentionem feci, Ixiam, & Chamæleontem, inter pestiferas & lethales radices connumerauit. Si itaque Ixia, Dioscoridis testimonio, planta sui generis est, à Chamæleonte differens, nequaquam albi Chamæleontis viscum, ea esse Ixia poterit, quam idem auctor inter exitiosa pharmaca reponit. Eludet fortasſis ille nodum hunc, Ixiam Dioscoridem Chamæleontem candidum appellasse inquiens, Chamæleontis autem nomine absolutè posito, nigrum intellexisse. Sed caueat quæso, ne se in grauius multò priori periculum præcipitet, quando auctores habeo non vulgares, qui Ixiam, quatenus venenum est, ab albo Chamæleonte separant: quanquam licet Chamæleontis etiam nomine, nigrum intelligat, errat nihilominus, quòd atrum Chamæleontem à Dioscoride inter venena referri negat. Hæc, si illi, annoso quidem seni, sed herbarum nobilis scientiæ rudi, obseruata fuissent, nunquam ἰξίνην καὶ ἰξίαν apud Theophrastum, quas voces Gaza, nullo discrimine, Carduum pineam malè reddidit, quod item interpres ille Anazarbei celebris hactenus igno

ignorauit (quî enim scire potuit, cum Theophrastum græcè nunquam legerit, nec, si legere velit possit?) ad Scholymi genera reiecisset. Sed tempero mihi æquè in his atque in cæteris nęniis suis latè explicandis, quando cursim tantum ista noto, iustum aliquando de omnibus volumen conscripturus: & si vehementer interim doleo, mihi cum tam indocto, impudentiq́ homine, cuiusmodi ipse est, negotium intercedere. Sed omnis fortuna ferenda est. Herculi quoque procaces mulierculas alapas impegisse legimus. Sic ille sanè edentulus senex, iuuenem quinque & viginti annos natum imperitię accuset, modò metipse suam toti orbi inscitiam declaret, patefaciatq́. Verum vt incudem eandem, quod dicitur, porrò trudere pergam, apud eundem auctorem malè pro SISERE, Carotam croceam, quam mei Borussi Gele moren vocant, pictam offendi. Neruus quidem plantæ eius radicibus inest, sed tantum abest vt amaritudinem habeat, vt nihil amaris dici possit magis contrarium; nec modò non à reliqua mole neruus ipse separatur, sed tota etiam radix, cruda, coctaq́, iucundissimè à puerulis estur. Nihil equidem hæreo MELOPEPONEM, quòd nomen in Græcia seruet, Melonem vulgarem, quod ipse statuit, esse non posse. Animaduerto præterea nomen σίκυος apud Græcos generale esse oĩum horariorum fructuum, videlicet Peponum, Melonum, Cucumerũ, Anguriarum, & cęterorũ generis eiusdẽ, quãdoquidem Galenus, libro περὶ τροφῶν δυνάμεως secũdo, tradit, negare ex Medicis nonnullos, fructum, qui Pepon dicitur, simpliciter appellandum πέπονα, sed cum additione σικυοπέπονα, id est Peponem cucumeralem, ac si πέπων ex genere τῶν σικύων esset. Pro-

inde turpiter hallucinatur ipse, qui σίκυος nomine, eam tantum plantam comprehendi ait, quæ Latinis Cucumis nuncupatur; cęterum omnia, tam Cucumerum, quàm Melopeponum genera, Pepona nominari; quanquam ne hoc quidem vsquam apud Galenum, quem tamen suæ sententiæ adstipulari putat, extare hactenus obseruaui; nisi quatenus dictio πέπων, idem quod τὸ πέπανον significat, hoc est maturum, quod aliis quoque quę maturescunt, conuenit, si eidem Galeno credimus. Sed & tertium item in paucis hercule verbis errorem admittit, quando Cucumeris nomenclaturam apud Latinos, ad fructum alium nullum, præterquam ad eum, qui propriè Cucumis, & Cucumer vocatur, & à Græcis σίκυς appellatur, extendi falsò arbitratur. Etenim Cucumeris appellatione, & Peponem, Melopeponemque contineri, apertissimè Plinii verbis innotescit, Cucumeres cum magnitudine excessêre, Pepones vocari tradentis; Melopeponem autem Cucumeris speciem esse noua forma in Campania ortum. Ex quibus equidem planum fieri opinor, Cucumeris nomenclationem apud Latinos æquè atque σίκυος apud Græcos, generale nomen esse ad omnes horarios fructus, qui Cucumeris speciem æmulantur. Cæterum SABINAM, quam ego cum Plinio sterilem esse auguror, ipse fructiferam cum Fuchsio pingit: quanquam me non præterit Arabum ea in re sententia. Mox item CEDRVM magnam falsò bacciferam cum Dioscoride statuit, cum conum eam gignere, non leuibus argumentis in epistola ad Rosarium comprobarim. Iam verò nec HIPPOSELINON, vulgari Ligustico consentire, vel ex nuda seminis figura doceri atq; conuinci potest. Ego stirpem eam Theophrasto Liba

notidem dici reor: etsi non desint, qui Silphion esse defendant, numismatum antiquorum auctoritate roborati; quam equidem sententiam, nec probo, nec reiicio. Quin & SMYRNION, Maceronem esse non posse, semen ipsum clarissimo argumento est. Sed nec in explicatione quidem PETROSELINI & SELINI, hoc est Apii, quæ herbę appellationes suas veteres in multis Gręciæ locis retinent, ab errore vacat. Ego plantam, quam vulgus Petroselinon vocat, verum priscorum Petroselinon autumo, tum quòd à descriptione nihil abhorret, tum quòd nomen suum, non in Græcia solùm & Italia, sed in tota etiam Europa seruat; tum quoque quòd Cyprii geminas vulgò plantas agnoscunt, quarum vnam Selinon appellant, quam ego pro antiquorum Apio interpretor; alteram Macedonicum, quod nostrum Petroselinon est; nomine, à loco, qui Galeno proditur, deriuato. Nec est quòd in TRAGI agnitione cristas magnopere erigat, quando non Tragum, sed Drypin pro Trago pingit, Theophrasto magnam differentiam inter Tragum & Drypin faciente. Rursus pro PARONYCHIA, Adiantum candidum proponit. Itaque in huius plantæ ignorantia, duplici de causa verberibus cædi dignus est, cùm quòd Parietum Rutam, Adiantum candidum esse ignorat; tum quòd Adiantum candidum falsò pro Paronychia exhibet. Mirum ipsum erroris istius non potuisse admonere, Pepli, quam proponit figuram. Etenim si quis Peplum, & Parietum Rutam iuxta se collocet, eandem inter eas stirpes similitudinem deprehendet, quæ inter Adiantum nigrum, & Portulacam cernitur. Iam si alicui plantam, quam ille pro ANDROSACE suppo-

nit, explorare libeat, liquidò deprehendet, non modò acrem non esse, quibus alioquin qualitatibus Androsacen præditam legimus, sed ne acribus quidem aliam posse inueniri stirpem magis contrariam, quippe, quæ Musci marini genus vnum sit, frigidum siccumq́. Turpe profectò esse nouitio isti rizotomo neminem iturum inficias arbitror, CONSILIGINEM, à Græcis Helleborum candidum dici, nondum cognoscenti, collatis præsertim Vegetii, Apsyrti, Columellæ, & Plinii verbis. At quota per Deos immortales errorum eius portio erit, pro SPINA ALBA, Silybum exhibentis? In quo item SILYBO, quemadmodum & in multis plantis aliis, cuiusmodi sunt, POTERIVM, MOLY, PICNOCOMON, SOLANVM MANICVM, OTHONNA, ESCVLENTVS & VOMITORIVS bulbi, PHYTEVMA, CATANANCE, LEONTOPODIVM, STRATIOTES aquaticus, &c. suam ignorantiam accusat, quę quia ei notę non sunt, protinus ab omnibus in Italia ignorari falsò definit. Inde ABSINTHIVM PONTIVM, cum Absinthio vulgari contra Galeni sententiam confundit. Insignem mehercule nouitium istum herbariorum ducem, qui tanto temporis interuallo nondum didicit, binas Absinthii Pontici nomine plantas auctoribus venire. Ex iis altera cum Absinthio absolutè prolato conuenit, quòd, Dioscoride teste, optimum in Ponto oritur. De hoc intelligit Galenus, quando Absinthii, libro simplicis medicinæ sexto, tria tantum genera statuit, neque Ponticum, ab absolutè prolato, distinguit. Altera, Absinthium propriè Ponticum appellatur, non quòd laudatissimum in Ponto proueniat, sed quòd

copiosissimum; quanquam & apud alias gentes nasci, nihil prohibet. Hoc Absinthium, auctore Galeno, magis adstringit quàm cætera, & amarum minus est. Adhæc aroma olet, reliquis fœtentibus. Postremò, foliis & floribus longè, quàm alia Absinthia minoribus constat. Nec in Ponto tantum, sed in Pannonia quoque; Romæ item, & variis in Latio locis copiosè exit. Quin & pro ACACIA PONTICA, Aspalathum, sua nulli notum sententia, depingit, errore in epistola ad Langium latè declarato. Sed quo me vertam? EBENI innumeros haberi in Italia truncos adstruit, nec animaduertit, lignum, quod vulgò Ebeni nomine venit, suffitum supra carbones, iucundum odorem non efflare; neque ad cotem allisum, ruffescere; neque etiam cum aqua tritum, in succum abire. Ferri sanè poterat error iste, etsi fœdus, de Ebeno, ni etiam pro IVNCO ODORATO, qui Theophrasto, Vitruuio, & Plinio testibus, nihil à nostrati Iunco differt, odore, viribusque demptis, officinarum Squinanthum pingi curasset. Nec dubito, quin non BVLBVM Esculentum pro HYACINTHO supposuisset, si Auicennam, & Massarium inspexisset. Iam verò HYPECOON sic Rutam foliis suis æmulatur, si quis plantam; quam ipse proponit, inspiciat, quemadmodum Ruta, Vitem. Quæ obsecro lamia, quæ stryx, quæ erynnis, quę furia, quę denique Megęra hominem istum compulit, vt tantam sibi in Dioscoride emendando auctoritatem arrogaret? Rogo vos eruditi omnes, qui non ad Dioscoridis modò lucernam etui gilâstis, sed Theophrasti quoque, & (quod Fabius ait) in suda veste durastis, fuligines lucernarum bibendo, ad procinctum enixa virtute dum tenditis,

quòd nam est in his Dioscoridis verbis, θλάσπι βοτάνιόν ἐστι στενὸν τοῖς φύλλοις ὡς δακτύλου μῆκος, πεπλακόσιν ἐπὶ τῆς γῆς, ἀκροσχιδέσιν, ὑπολιπαροῖς, correctione dignum crimen? Ille dictionem ἀκροσχιδὴς, deprauatam oggannit, nec Plinium ante mille & quingentos annos folia Thlaspeos in cacumine diuisa scripsisse animaduertit. Atqui si Dioscoridis codex luxatus est, profectò & Plinii verbis mendum subesse necesse est. Sed danda fortassis viro ei venia est, qui dum Dioscoridis phrasin non intelligit, Plinium legere non potuit. Rogo eum vehementer etiam atque etiam, ne posthac commentarios suos recudere velit, ni græcas prius literas imbiberit, & Dioscoridem totum græcè legerit. Verbum ἀκροσχιδὴς, non supremum folii apicem sectum, sed totum illius ambitum leuiter dentatum significare, ex Capite de Sideritide altera, & Senecione intelliget. Mirum quin etiam videri debet, pro ERYSIMO, Erucę genus in commẽtariis suis proponi. Erysimum profectò Romę, Patauii, & alibi notissimum. Plantam, quam ipse per subiectam oculis figurã exprimit, βρεῦβις Cretenses vocant. Non desunt ex eruditis, qui Lampsanam esse contendant. Cęterum cum LOTVS, ęquè arbor atque herba, tria tantum, auctore Dioscoride, nec plura, ex singulis pediculis folia producat, argumentis eius sententiæ ex Cap. de Oxytriphyllo, Loto syluestri, & Cytiso assumptis, aliter etiamnum Theophrasto tradente, ille tamen pro Loto herba, non trifolium, sed quinquefolium exhibet: pro Loto verò arbore, plantam, in qua tria folia visa nunquam. Itaque arbor, quæ in Tridentino agro Bagolarus vocatur, vel Dioscoridis Lotus non est, vel Dioscorides ipsemet Lotum ignorauit. Ille nodum,

comesto nasturtio, si poterit, excutiat. Expecto quid suæ pariturae sint musæ. Sed vereor ne abortum faciant. Præterea cum SOLANVM MAIVS, suæ gentis hominibus Bella donna appellatum, Strychni generibus annumerat, atque antiquis scriptoribus silentio omissum decernit, Theophrastum sibi nunquam lectum, clarè exponit. Ille, si Mandragoram eius auctoris, differre à Bella donna ostenderit, concedam sanè lectum ipsi Theophrastum, sed minimè intellectum. Porro autem in SOLANI SOMNIFERI agnitione, vel ipsum, vel certe Dioscoridem falli necesse est. Etenim quod ille expresso icone proponit, & floribus & radicibus, candidis paruisq; constat: contra quod Dioscoridi describitur, flores habet magnos rubrosq; radice item prægrandi ruffaq; viuit. Nec ego SCORPIOIDEM, Romanorum atque Hetruscorum Amoris herbam puto, quin imò hanc verum veterum Thelephion, Theocriti scholiastis auctoritate defendo, ritu ad hæc vsq; tempora propagato, magnæ Italiæ partis consensu, illi nondum explorato. Peream, si quid dicam, intelligit. Rursus autem euidens viri illius error in PIPERE rotundo, longoq;, & vulgaribus CVBEBIS apparet. Etenim Cubeba officinarum, à Theophrasto Piper rotundum appellatur, ab Hippocrateque simpliciter Piper. Quoties enim cunque apud Hippocratem, vel Piperis, vel Indici, vel Pharmaci Indici oculorum, vel denique Myrtidani, seu, vt alii codices habent, Myradani, mentio incidit, perpetuò Piper rotundum Theophrasti, hoc est Cubebas vulgares intelligit. Cùm verò στρογγύλου, hoc est rotundi meminit, rotundum Dioscoridis Piper, album nigrumque, exponit. Id à nemine hactenus
dubitur.

animaduerſum, miror maximè. Nec me fugit, Galenum hac parte inſigniter lapſum. Cubebam, quę Piper rotundum ſit, à Strabone Corſium dici opinor. Cęterum Piper longum, cuius hodie apud omnes gentes vſus eſt, minimè cum antiquorum macropipere conuenire, liquido Dioſcoridis & Theophraſti verba coarguunt. Sit quod vulgò Calecuthicum Piper appellant, nec affirmo, nec refello. Proh Deum immortalem quantas nectit vir ille nugas, qui vt videatur ſingulare aliquid conſpexiſſe, Piperis plantam, Venetiis in horto clariſsimi Medici Maphęi vigere fabulatur. Atqui ſi frutex ille Piper eſt, vel etiam Amomum, vt alii ſomniant, parùm aberit, quin vulgare Ribes, vel Piper, vel Amomum eſſe poſsit. BITVMEN inſuper Iudaicum in Italiam apportari cœpiſſe negat, magna interim eius Venetiis copia. At vulgaria citrinum albumq́ SANTALA, cum ſecundum in caliditate ordinem attingant, quis Mauritanorum Santala eſſe dicat? Iam vero AMARACVM, & MARVM, magnus ille Dioſcoridis interpres, contra Galeni ſententiam confundit, qui Amaracum, libro Antidotorum primo, à Maro clare diſtinguit. Nec, puto, vir ille COTVLAM fœtidam, eſſe Parthenion negaſſet, ſi extare apud Hippocratem, Parthenion μικρόφυλλον obſeruaſſet. SCOLOPENDRION item & ASPLENON, vnam tantum eſſe plantam, magno molimine contendit, atque interim in Galeni codicem fœdiſsimam maculam inducit, Tralliano Scolopendrion ab Aſpleno in variis medicamentis ſeparante. HORMINI Galenum in ſimplicium pharmacorum numero meminiſſe negat, quum Phorbion eſſe iam olim Geſnero notante, didiciſſe potuerat. Si

dubitat,

dubitat, Paulum adeat, vtroque sub nomine eandem non sententiam solùm, verùm etiam eadem verba referentem. Dispeream, si illi vnquam vel Galenus, vel Theophrastus, vel Plinius, vel Paulus, vel ipse etiam Dioscorides à capite ad calcem lectus Neque enim Platonem, Iamblychum, Plotinum, Plutarchum, Aristotelem, Homerum, Pindarum, Apuleium, Liuium, Senecam, Pausaniam, Polybium, Athenęum, Sacra Biblia, Augustinum, Hieronymum, Clementem Alexandrinum, Quinquaginta Digest. libros, Nicandrum, Theocritum, Philostratum, Demosthenem, Dionysium, Xenophontem, Vitruuium, Statium Papinium, Tertullianum, & innumerabiles auctores alios nomino, quos ipsum nunquam inspexisse, exploratissimum habeo. NARCISSVS, quum ter anno vno, Theophrasti testimonio, floreat, ipse tamen plantam semel tantum flores gignentem, Narcissum pictura defendit. TELEPHIVM, Fabariam esse, etiam cœcus idemq; astomos negauerit. Verum viri eius Scorpioidem, Telephion priscis hominibus nuncupari, nemo non probè in re herbaria instituus, facilè concesserit, ratione quam dixi. Caeterum AMELLVS, Aster Atticus non est, sed vel Chelidonium minus; vel Primula veris minor, in quarum plantarum foliis euidenter admodum violæ sublucet purpuram nigræ, ancipiti foliorum intellectu, neu quis mussitet. Lapsum quin etiam nouitium istum Anazarbei Dioscoridis interpretem in LIGVSTICO comperio, pro quo ineptè equidem Siler montanum herbariorum pingit, plantam solo seminis odore, qui cimicum est, execrandam. Itidem illi in CLINOPODIO contigisse, pro quo perperam Aginetę Betonicam ex-

hibet manifestè elucet. Nec videre satis queo, quę causa sit, cur vulgare officinarum BVGLOSSVM, antiquorum esse Buglossum non possit. Ego profectò Bubulam priscæ ætatis linguam, Græcię, Italię, Germanię, Gallię, Hispanię, & in summa omnium gentium vnanimi consensu, vulgare Buglossum esse defendo. Boraginem verò à Dioscoride Echion vocari auguror, quod non decerno. Id nasutulo illi herbario suis id examinare calculis integrum esto. SIDERITIDEM alteram, Pimpinellam in Italia dici, tota Græcia dictitat. Chii, Rhodii, Peloponenses, Corcyrenses, cęteri, Pimpinellam, hodie Sideritidem noĩant. Sed nescio quod mõstrũ, magnus ille Amati peccatorũ expiator, pro Sideritide affert. Idem in SESAMI & MYAGRI explicatione, mirùm quàm cœcutiat hallucineturq́, quando Myagrum esse, Sesamum primo à se loco locatum, nescit, & Sesamum, cui secundas tribuit, Sesamum definire non audet. Omitto prę claram illam Oryzam, priori ab ipso volumine expressam, cui Holco apud Plinium nomen, nunc verò in melius, Falloppio monente, mutatam. Facit profectò, vt nimium intelligendo, nihil intelligat. Rursus ERVVM in Italia Mochum nuncupari, secum sentio; sed plantam, quam ille pro Eruo, ex Fuchsio, supponit, Mochum esse pernego. Cogitet quæso ęquus lector quam sit vir ille candidę frontis homo. Mochum, Eruum esse, verè dicit, interim tamen Mochum, ignotam sibi plantam statuit, quando non Mochum, sed nescio quam vagam stirpem aliam, pro Eruo, pictura exprimit. Cur vero SCILLAM etiam ex Græcia & Italia, in Hispaniam remittat, mirari satis nequeo, vberrimo eius in Græcia & Apulia prouentu, nomine rituque

veteri in limine ianuę eam suspendendi ad hæc vsq; tempora propagato. Scillam esse decerno ex Galeni sententia, cui radices sint candidæ: Pancracion, cui ruffæ; Dioscoridis auctoritate. Ille, si Scillam terræ suæ hærentem conspexisset, ternos eam flores fundere haud negasset. Quod cur ex Theophrasto adnotauerit, nec Narcissum ter florere, quod ibidem traditur, obseruauerit, magni est apud me momenti. Agnosco sanè, cum hoc in loco, tum in aliis non paucis, ingenium suum, vafrum & versipelle. Sed crasse item in NARCAPHTHO & STACTE errat, quæ ille medicamenta duo, pro vulgari Tegname, & Styrace liquida exponit, rectius facturus, si recantauerit. Styrax enim liquida, ex recentibus Styracis arboris corticibus, admixto oleo, ingentibus torcularibus, in Asia minori, Aegypto, & Græcia præmitur, quos ita expressos cortices, magna Italiæ pars, Tegname vocat; Siculi & Calabri, Bufuri. HYSSOPVM adhæc spicatam esse plantam ait, quod Dioscorides inter vmbelliferas stirpes retulit, Origani, & Chrysocomis, quam ego Linariam auream Tragi interpretor, testimonio. Nec me Aristotelis de Chrysite verba, quàm Chrysocomen esse, eiusdem auctoris decretis constat, mirum in modum terrent. SCINCVS porrò Grę cis auctoribus aquatile animal non est, sed terrestris Crocodilus, sui generis, à quo odorati stercoris genus, Crocodileam vocant, Dioscoride teste. Aliter Latini rerum conditores de Scinco, & Crocodilea sentiunt. Verum ego Græcorum adhæreo placitis. Idem pro FABA AEGYPTIA, Ari genus, in multis Italiæ hortis frequens, perperam proponit. Quod si ille plantam ipsam crudam

coctamue degustasset, nunquam profectò Colocasiam sanxisset. Superat acredine & feruore suo Arum, æquat autem Dracunculum. Nec scio eandem ne, an diuersam plantam intelligit, quando Arum Aegyptiacum, cum sua ista Colocasia confert, quam equidem multùm vereor, ne nihil ab Aro Aegyptiaco discrepet, non sanè eo cuius Plinius meminit, sed quod ipse ἐκ περιουσίας, Arum Aegyptiacum cognominat. Hinc HEMEROCALLIDEM cum Lilio purpureo Dioscoridis confundit, nec plantæ eius florem ἰσχυρῶς ὠχρὸν describi animaduertit, abs se propositæ, sanguine tincto. Quod si autem MOSCHI ODORATI, & CASTORII medicamentorum historiam, integrè & verè nosse velit, vltimum sibi Rondeletii Amphibiorum libri caput legendum putabit. Lapsum item insigniter in MYRISTICA, VOMICA, & METELLA nucibus comperio: ex quibus postremo loco nominatam, vulgo Stramoniam dici, non modò ignorat, verùm etiam Vomicam officinarum, falsò Metellam, contra Bellunensis sententiam, decernit. Auctores habeo, Ebenbithar, Auicennam, Hacsen, & cæteros Mauritanæ familiæ scriptores. Iam verò quod Myristicam nucem antiquis incompertam ait, non probo. Quid enim? An eam Theophrasto Comacum, & Plinio Cinnamum Caryopon appellari, euertet? Nec refert quod Plinius Cinnamum Caryopon in Syria nasci tradit, quando locum in quo aromata prouenіunt, tota antiquitas ignorauit. Cæterum pro STACHYDE, malè Sphacelum, cum reliqua herbariorum turba pingit, atque LAVRVM ALEXANDRINAM fructum inter folia ferre, contra veterum auctorum sententiam falsò

decernit, Dioſcoride ἐν μέσοις φύλλοις naſci eum recte tradente, atque Theophraſto Laurum Alexandrinam ἐπιφυλλόκαρπον aſſerente, quicquid dicat Plinius. Profectò legiſſe ipſum auctores eos, nec Angelis de cœlo nunciantibus, in tanta ignorantia, conceſſerim. Agnoſcere ergo ex his poterit, non modò non differre, quod ipſe negat, Laurum Alexandrinam & Hippogloſſum, ſed nec Chamædaphnen quidem à Lauro Alexandrina diſcrepare, tum quòd deſcriptio, vna tantùm ſit omnium, tum quòd facultatibus egregiè inter ſe conueniant. Accedit ad gratiam, quòd nullus omnium Chamædaphnes ante Dioſcoridem meminit, nec Lauri Alexandrinæ ante Theophraſtum. At Hippoglottidis coronæ mentionem fecêre Plato comicus in Ioue, Theodorus in Atticis dictionibus, & Pamphilus in libris de nominum compoſitione; quam ex Hippogloſſi foliis conſtitiſſe, ſatis Dioſcoridis verbis apparet. Nec me mouent Galenus & Paulus, Laurum Alexandrinam ab Hippogloſſo & Chamę daphne ſeparantes, quando iidem auctores non rarò de iiſdem plantis, in diuerſis locis pertractare ſoleant. Argumento capiantur, Malabathrum & Phyllon malabathri: After Atticus & Bubonium: Horminum & Phorbium: Echinus & Erinus: Chamædrops & Chamædrys: Amaranthus & Heliochryſon: Neuras & Poterium: Cacalia & Cancanus: Myaron & Myagron. Sed & Dioſcoridem quoque idem feciſſe, apertiſſimum eſt, ignorantemne, an abundè diligentem, neſcio. Exemplo ſint, Mercurialis & Phyllon: Helenium Aegyptiacum & Panaces Chironium: Buphthalmos & Chryſanthemon: Sion Crateuæ & Siſymbrium aquaticum: Rhamnus tertia & Lycium Indicum. Errat quin

etiã postremus iste Dioscoridis interpres in MANNA & SACCHARO, quorum medicamentorum alterum falsò vulgare Saccharum definit, alterum priscorum Saccharum malè inficiari audet. Etenim Saccharum antiquorum ex sublimi æthere decidere, nec vlla ex harundine resudare, Aristotelis, Galeni, Dioscoridis, Auicennæ, sed quàm clarissimè Alexandri Aphrodisæi testimonio euinci potest. Sacchariferi calami meminêre ex antiquis Theophrastus, Varro, Dionysius Alexandrinus, Solinus, Strabo, Lucanus, & Galenus. Quin etiam cum XYLON, seu GOSSIPIVM, à Theophrasto δένδρον ἐριοφόρον appellari ignoraret, priscis illis Græcię hominibus silentio præteritum, affirmare non erubuit. Verum ne quis in hoc libro nostro Rhodium putet sacrificium, desinamus aliena grauius aut insectanter conuellere. Neque enim proposita nobis obstrigilatio vlla est, nec doctorum hominum dispendio gloriolas inanes captamus. Tunc enim Homericum illud posset grauius insusurrari.

ὁπποῖόν κ' εἴπησθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσεις.

Monitos tantum legentes volumus, quid senserint alii, quidúe ipsi proponamus in album, οὐ πρὸς ἐπιδοξάζοντας, idest non idem opinantes. Candore eodem ac simplicitate, sicubi lapsi fuerimus, reuocent ad libram, quoniam hominis est in pluribus conniuere: nam & ipsi nostra quoque allisuri videmur (neque enim ita nos amamus aut miramur, vt nesciamus perdere) sicubi potior se ostentarit ratio. Et cum riuali, & sine riuali posteritati allaboramus. Sed nunc deniq; ad te MATTHAEOLE orationem meam conuerto, quam Gręco ne sermone, an Romano instituere debeam, haud scio. Vi-

deris enim vtriusque linguę ex ęquo peritus. Verum tu Gręca te scire magnificè crepas. Atqui Latinam linguam miser ignoras; nec sanè aliam pręter eam quam à parentibus hausisti magnopere calles. Argumento capio, Commentarios in Dioscoridem tuos, à Ioanne Odorico Melchiorio nepote tuo, in Latinam linguam ex Italica transfusos, & tuo nomine ęditos. Possem ego quamplurimos errores alios in senticeto illo tuo indicare, ni alterius id esse instituti scirem. Neque enim acerbè, neque omnes omnium errorum tuorum lapsus insectari, mihi hoc loco est propositum: quorum sanè pro ingenii tui fœcunditate, ita scripta tua sunt feracia, vt vel non mihi, qui me tibi non inimicum esse profiteor; vel non vno libro esse videantur persequenda. Simul autem lectori concedendum est, vt aliquando respiret ab earum rerum lectione, quas ipse etiam attingo, mihi crede, inuitus. Nam si quis eiusmodi legendarum rerum erit posthac auidus, huic non vereor, quin aliâs abundè possim satisfacere, cum doctissimę tuę epistolę, sic, vt opinor, respondebo, vt dignum patella operculum nacta esse videatur. Tu interea temporis, ista, si potes, in integrum restitue. πέμψω δὲ καὶ τὰ λοιπὰ ταχέως, ἄν ταῦτα δόξῃ μὴ παντελῶς ἄμουσα, μηδὲ ἀπροσδιόνυσα εἶναι. Nulla enim res potest esse eadem festina simul & examinata, nec esse potest quicquam omnium, quod habeat & laudem diligentię suę simul, & gratiam celeritatis. Prębui me quorundam voluntati, qui oppidò voluerunt, quę à me desiderabantur, vt scriberem confestim, & planè ex tempore. Et est medius fidius formido, ne id mihi euenerit, quod Coruo suo Aesopus fabulatur. Id erit ne dum laudem hanc nouam captare apparo, illam quam ante peperi, cogar

amittere. Sed tu de Apologo quęris? Piget cum dalíuio ſupino, ſantracq́, vt reconditis Aurelii Aelii verbis vtar, fabulari. Seriò, & candidè, omni remoto affectu, loquor: Inuentus ex eruditis hactenus nemo, qui vel pro iis, quæ rectè à te dicuntur, vllas tibi deberi fateretur gratias, quando notatum tibi toto opere noui nihil, quod idem non longo tempore ante Hermolao, Ruellio, Virgilio, Maſſario, Mundellæ, Caprili, Braſauolo, Cordo, Leoniceno, Manardo, Fuchſio, & cęteris eruditiſsimis hoībus obſeruatum deprehenſumq́ ſit. Itaq; vbi de tuo promis aliquid, cœcutis, erras, falleris: vbi veritati conſentanea tradis, ex retextis aliorum ſertis nouas corollas demens concinnare gaudes. Τὸ μὲν νόημα τῆς θεοῦ, τὸ δὲ κλέμμα σόν. Proinde cum me immeritò in ineruditos & incomptos illos, ac conuitiis monſtrisq́ refertiſsimos in Dioſcoridem commentarios tuos, nouiſsimè æditos, πολυπραγμονούμενον, Hipponacteo præconio, atque Archilochio edicto traduxeris, his te nunc epithetis, pro officio illo tuo, pro ſingulariq́ in me beneuolentia tua, atque amore, quo Guilandinum complecteris, clarum, conſpicuumq́ fieri, nolis, velis, patiaris. Ἄνθρωπε εἶ μάταιος: aut mauis ματαιολόγος: vel ſi ita lubet μάταιος ὅλως: μάτταβος: ματτιολοιχός: Mattazolus, vt Italico, cum Italus ſis, verbo vtar: σκαιός· ἄγροικος· ἀμαθής· μωρόσοφος· ἀπειρόκαλος· τολμηρός· ἀλαζών· θρασύς· ἰταμός· κρόταλον· ἀβέλτερος· κρουνοχυτρολήραιον· κρόνιππος· βλιτομάμας· ἐμβρόντητος· συκοφάντης· εἴρων· φέναξ· μάσθλης· βωμολόχος· ψευδῶν συγκολλήτης· ἀλάστωρ· ἀλιτήριος· πανοῦργος· παιπάλημα· τρίμμα· ἀναίσχυντος· μιαρός· λάρος· λαικαστής· ὀκλαδίας· καταδακτυλικός· νυκτοπεριπλάνητος· μοιχός· ἀσυνάλλακτος· ἀσύστατος· στόμφαξ· κερασβόλος· ἀτεράμων

ῥαμῶν· μόθων· σφραγιδονυχαργοκομήτης. Summa summarum, omnium non bipedum solum, sed etiam quadrupedum nequissimus. Proinde haud dubito quin verè in te quadrare possit epitaphium, quod Timocreontis Rhodii poëtæ, cæterum voracis ac bibacis sepulchro inscriptum indicat Athenæus libri δειπνοσοφιστῶν decimi principio.

πολλὰ πιὼν, καὶ πολλὰ φαγὼν, καὶ πολλὰ κακ' εἰπὼν
ἀνθρώπους, κεῖμαι τιμοκρέων ῥόδιος.

Altius Guilandinomastix animo tuo infixum esse debebat Hesiodium illud apprimè elegans & venustum.

Ἄφρων δ' ὅσκ' ἐθέλει πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν,
Νίκης τε στέρεται, πρὸς τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει.

Respondebo tibi, vitilitigator, & Niliace canis, atque omnibus figmentis tuis, si me trinus & vnus sospitem ex India aliquando in Europam remiserit. Nunc non vacat, nec libet cum tam impudenti, cuiusmodi tu es blacterone, qui conuitiis, calumniis, rixis, nugis, & imposturis vndique diffluis, latius contendere. Tu, dum absum, pennas arroganter Pauonum modo erige, & alas latè expande, ac te ipsum solicitius lustra atque circumspice, nec non interea dum barbari tui potant, tu emasculatoribus illis tuis ad omnia infanda morigerus sis. Pythagoras profectò ille summi doctoribus nominis eruditus, tot tamq; multiiugis comitibus disciplinarum toto orbe haustis, vir præsertim ingenio ingenti, primus Philosophiæ nuncupator, & creditor, nihil prius discipulos suos docuit quàm tacere, primaque apud eum meditatio, sapienti futuro linguam omnem coercere, verbaq;, quę volantia Poetę appellant, detractis primis intra murum candentium dentium premere. Intellextin quid dicam? Stat sen-

centia, diuino fauente numine, atq; aspirantibus in vela ventis, longam hoc anno nauim, cum viro omnium quos Veneta Resp. habet magnificentissimo, MARINO illo CAVALLO, oratore ad Turcicum Caesarem designato, conscendere, & Constantinopolitana moenia visere; mox traiecto rursus mari, Aegyptum, Arabiam, Mesopotamiam, Armeniam, Mediam, Persiam, Carmaniam, Parthiam, caeterasq; regiones innumeras transire, ac in Indos, atque in vltimas vsq; Moluccas penetrare. Ibis MARINE, CAVALLE Byzantium, haud minore (vt equidem reor) gloria, princeps orator, & ciuis, ex illa ingeniorum quae nunc in Venetorum Rep. est, multitudine, tibi vni hanc coronam dante, quam tibi ante paucos quoque annos, praepotentissimus ille IMP. CAESAR, CAROLVS V. Occiduus, Eous, Arcticus, Antarcticus, Germanicus, Italicus, Francicus, Africanus, Americus, Atlanticus, Magellanicus, Moluccicus, Indicus, pius, foelix, inclytus, victor ac triumphator semper Augustus dedit. Nescis σεβαρὲ ventorum rex Aeole, cuiusmodi virum trans mare mittes, alioqui non tumido vela cantu inflature, sed placido mitiq; carbasa Austro distensure. CAVALLVM quidem in excelsissimo oratorum fastigio positum, summa eloquentia, summa eruditione praeditum, religiose adiri etiam a salutantibus scito. Quamcunq; orationem struxerit CAVALLVS, ita illa erit vndiq; sui perfecte absoluta, vt in ea neq; Cato grauitatem requirat, nec Laelius lenitatem, neq; Gracchus impetum, nec Caesar candorem, nec Hortensius distributionem, nec Caluus argutias, nec parsimoniam Salustius, nec opulentiam Cicero. Prorsus in quam, ne omnes persequar, si CAVALLVM audias,

neq; additum quicquam velis, neq; detractum, neq; autem aliquid commutatum. Itaque vt benigna Aeole in vela aura ruas, vehemẽter etiam atq; etiam rogo. Me verò vt bonis etiam perpetuò auibus du cas atq; reducas, obnixè flagito. Mouebo in te post quã rediero Matthęole, Indum, Bactrum, Parthum, Carmanum, & eius farinæ homines alios, quos, si mis silibus linguæ tuæ effrenatæ telis in fugam verteris, concitabo mox Germanum, Hispanum, Sarmatam, Gallum, & cæteros qui trans Alpes habitant, vt ple nè perspicias nec illis à natura ingenium negatum es se, neq; barbaros, sicut tu existimas, dici posse, qui naturæ tuæ feritatem detestentur, eamq; sic lingua, sic calamo, sic omnibus disceptandi hominum pro priis generibus persequantur, vt tu vnus, quamuis in media Hetruria natus, barbarissimus homo, atq; adeo vix etiam homo esse videâre. Pulchrè olim & verè Themistocles, nisi fallor, nec se si Seriphius esset minus nobilem; neq; Seriphium, si Atheniensis, ma gis clarum futurum fuisse. Quæ te autem causa ver sutissime hominum cõpulit, vt inter barbaros, quos sic appellas, & quorum nomen tam abominaris, vi ctum quæsitum ires scelus? An vt te elegantem & politum hominem demõstrares, si eorum hominum famam atque existimationem, quorum beneficio vi tam, quam inter tuos vix sustinebas, tueris, maledi cto proscinderes? & hanc pro illorum meritis gra tiam referres, à qua Scytharum etiam ipsorum inge nium atq; mores abhorrent? Non te pudet illis ma ledicere, quorum beneficio ex muto factus es facun dus, ex famelico eò productus, vt vomitum non te neas? Quid tumultuaris aduersus eos, à quibus sæ penumero fuisti affectus commodis, & quotidie ad huc afficeris? nisi tu etiã à Boemis, inter quos viuis,

pro innumeris, quæ in te contulere beneficiis, impe riosè alimenta pecuniasq́; , ceu Barbarorum victor, iure belli exigis. Eiusmodi'ne, scelestissime, epitheto præfulgentissimam illam toto terrarum in orbe Austriacæ stemmatis familiam, ex qua Cæsares, Reges, Ducesq́; nati, dignam censes? Germani'ne, Hispani, Poloni, & Galli, & inter quos nunc versaris, Boemi, Barbari tibi videntur, quòd Ryphæis montibus, quos Alpes cum Athenæo voco, ab Italis disterminati? Actum me hercule erit, & de te, & de insulsissimo in Dioscoridem blacteramento tuo, si mihi bilem moueris. Tremes, ita me dii benè ament ad vnius vocis viri barbari bombum. Hetruscum equidem in epistola tua ingenium, quo te pollere, nunquam dubitaui, abundè satis relucet, sed doctrina, quod me tui miseret multùm, nulla. Etenim literæ tuæ adeo vehementes & acerbę, id vnum agunt, & planè confitentur, te veritati obstrepere, ac quo iure quaq; iniuria tueri malè parta animo obstinasse nec dedoceri velle quę perperam didiceris. Proinde à te, nec ius, nec iniuriam deprecor: accipiendas .n. mihi plagas pro re nata video. Hui quale in terris monstrum Mythragyrtes Matthæolus? Quis clarioribus viris quodam tempore iucundior? Quis turpioribus rizotomis nunc coniunctior? Quis erudicus meliorum partium aliquando? Quis tetrior hostis Guilandino? Quis in maledictis inquinatior? Quis in transcriptione alienarum opinionum, hinc inde furtim surreptarum, auarior? Quis in senticeti vnius expurgatione inconstantior?

Frontis nulla fides; quis enim non vicus abundat
Tristibus obscœnis? castigas turpia, cum sis
Inter Socraticos notissima fossa cinædos.

Ἀλλ᾽ ὦ πάντων ἐχθρὲ ἀνθρώπων ἀναπεισθεὶς οὐχ ὑγιαίνειν, ξυνθιασῶτα τοῦ ληρεῖν καὶ παραπαίειν, Καλὸν (si quid ἡ τοῦ σίγμα γραφὴ πρὸς τὸ ταῦ te mouet) ἕκαστον μένειν ἐφ᾽ ἧς τετύχηκε τάξεως. τὸ γὰρ ὑπερβαίνειν εἰς ἃ μὴ χρή, λύοντός ἐστι τὸ δίκαιον. Sat tibi fuerit μάταιε ὅλε, toto tempore vitæ tuæ auctorum loca digito commonstrasse, vbi stirpium, quas in Epistola ad Langium nomino, meminêre, quam sigillatim vnamquanque earum, quod præstare non potes etiamsi dissilias medius, declarasse, et sen ticetum illud tuum, quo densissimas orbi terrarum tenebras circumfudisti, ab innumeris erroribus repurgasse. Quæro autem ex te ἄνθρωπε alienę famę corruptor, μαμμάκουθε, μελιτίδα, ἀπεριλάλητε, στόμα ἀχάλινον, ἀκρατὲς, ἀπύλωτον ἔχων, κόβαλε καὶ ἀγριοποιὲ, quique haud secus quam βοῦς ἐν αὐλείῳ sedes, quando tandem bonos viros cõuitiari desines? ὦ θιασῶτα κότυος. Me Senecę illud in Hercule furente erigit, solaturque.

Ars prima regni est, posse te inuidiam pati.

Εἰ τὸ τρέφειν πώγωνα δοκεῖ σοφίαν περιποιεῖν,
Καὶ τράγος εὐπώγων εὔστολός ἐστι Πλάτων.

Viliter semetipsum colere, sui contemptus est. Barbare alios insectari, audientium contumelia est. An non summam contumeliam imponis eruditissimis iuxtaq; humanissimis viris, apud quos tam friuola mendaciter scriptis tuis garris, dum arbitraris illos maledictis optimi cuiusque gaudere, aut eos existimas mala & vitiosa verba non intelligere, vel si intelligant, boni consulere? Disce κόμμα χαλινὸν effrenatam linguam compescere, & temerè alterius famam arrodere conscinderéq; desine, εἰ σωφρονεῖς: sin mi-

nus, οὔτι χαίρων ταῦτ' ἐρεῖς. Cato pauca, nominandi & dandi casu. Insimulari quiuis innocens potest, reuinci, nisi nocens, non potest. Denique hoc vnum saltem exorari te sinas, πάταξον μὲν ἄκουσον, inquit Alcibiades ad Euribadem sublato scipione loqui eum vetantem. Feri sanè, inquit, & audi. Sic tu sanè ferias dum audias. Vulnus .n. recipiam (vt dicitur) si modò Marte tuo plumbeo impugnare me institeris, nec in flammam coniicere inuidiæ concitatæ. Ἀλλὰ φθείρου καὶ μὴ γρύζε.

Patauio IX. Kal. Mar. M D LIIX.

EGo, quod ad corium Borussiacum spectat, planè, vt olim, ita & nunc quoq; magni illud æstimo; nec sum tam dementis ocii, vt id ad Aristophanis χορὸν ἐν βατράχοις componere velim, quod te iandiu fecisse, cum superioribus annis ex homine in lupum verterêre, & singulis momentis idem conari, cùm pontus & tellus, tum æther & infernus perstrepunt.

Ταῦτα μὲν πρὸς ἀνδρός ἐστι
νοῦν ἔχοντος καὶ φρένας, καὶ
πολλὰ περιπεπλευκότος,
μετακυλινδεῖν αὑτὸν αἰεὶ,
πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον.
μᾶλλον, ἢ γεγραμμένην
εἰκόν' ἑστάναι, λαβόνθ' ἓν
σχῆμα. τὸ δὲ μεταστρέφεσθαι
πρὸς τὸ μαλθακώτερον,
δεξιοῦ πρὸς ἀνδρός ἐστι καὶ φύσει Θηραμένους.

Esto igitur toto tempore vitæ tuæ Theramenes, Theon Matthæole.

FINIS.

